



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. Rursum avaritiam Legatorum insectatur Rogerius de Hoveden in persona Ioannis Salernitani, quem ait à ceteris potionibus quæ homines inebriare solent abstinuisse, ceterùm aurum & argentum sitivisse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

admiserat, perpetuam continentiam indixisset. Cumque latenter ejus impudentiam arguentes, tentandi gratia quererent ab eodem utrum in causis paribus idem jus consequenter admitterent, respondit sibi licere quod eis non liceret, neque nunc id se fecisse ut id consequendum aliis traderetur. Subdit Baronius, qui ista refert: Huc usque Hugo Falcandus de scandalis que amore auri Cardinalis venalis inferret.

VII. Adeo vulgata res erat seculo illo Legatorum apostolicæ sedis avaritia, ut cum Ioannes Anagninus à Clemente III. missus in Galliam fuisset Legatus ad revocandam pacem inter Reges Franciæ & Angliæ, & propositis quibusdam concordia capitibus, re infecta utrique discederent, Legatusque assereret quod nisi Rex Franciæ ad plenum componeret cum Rege Angliæ, totam terram suam sub interdicto poneret, inter alia quæ adversum Legati minas reposuit Rex Francorum, quæ referuntur à Rogerio Hovedeno, adjecit etiam quod prenominatus Cardinalis jam sterlingos Regis Angliæ assererat.

VIII. Haud ita multo post, id est, anno millesimo centesimo nonagesimo, Vvillelmus Eliensis Episcopus, commendatione usus Richardi Regis Anglorum, apud quem præcipua gratia florebat, legationem totius Angliæ & Hyberniæ obtinuit à Clemente tertio, cujus ea de re litera referuntur à Mattheo Parisio. Legationis autem officium, quod mille fustis argenti libris adquisierat, adeo immoderate peregit, ut omnibus Angliæ Ecclesiis tam conventualibus quam cathedralibus fieret onerosus. Siquidem mille & quingentis per Angliam erectus equitaturis, Clericorum stipatus gratiam, Militumque vallatus agminibus, omnia ferè que episcopali reverentia congruunt prætermisit. Hic factus in eum concitavit Anglorum invidiam & odium merito excaudescensium adversus hominem qui ad nihil aliud videbatur impetrasse legationem sedis apostolicæ quam ut universam Angliam una ruina opprimeret. Describit ista eleganter Hugo Coventrensis Episcopus in epistola de dejectione ejusdem Legati, quam recitat Hovedenus. De consilio universorum statuimus, inquit Hugo, ne talis de cetero in regno Angliæ dominetur, per quem Ecclesia Dei ad ignominiam & populus ad inopiam erat redactus. Ut enim cetera omittam, ipse & ganeones sui totum regnum exhausserant. Addit paulo post Eliensem Episcopum Cantuariam propèrassè, ut ibi, sicut decebat, crucem acciperet peregrinationis, & deponeret crucem legationis, quam per annum & dimidium anni post mortem Pape Clementis in prejudicium Romana Ecclesiæ & detrimentum Anglicane portaverat. Omnes enim Ecclesias Angliæ crux illa redemis, id est, ad redemptionem

coëgit, nec fuit aliquis immanis qui crucis illius stigmata non sentiret. Et si forte alicujus Episcopi domum intravit, ab eo scire poteritis quod centum vel ducentarum marcarum pretio sua constiterit procuratio. Porro adversus hanc Hugonis Episcopi Coventrensis epistolam Petrus Blefensis aliam epistolam scripsit pro Episcopo Eliensi, in qua eum valde laudat. Celestinus quoque tertius, qui tum sedi apostolicæ præsidebat, in gratiam ejus scripsit ad Archiepiscopos & Episcopos Angliæ, innuens ista adversus Episcopum Eliensem præsumpta fuisse per invidiam Ioannis Comitis Moretonij, quem & complices ejus in hoc facto denunciari solenniter excommunicatos jubet.

CAPVT L.

Synopsis.

I. Rursum avaritiam Legatorum insectatur Rogerius de Hoveden in persona Ioannis Salernitani, quem ait à ceteris potionibus que homines inebriare solent abstinnisse, ceterum aurum & argentum sivriffe.

II. Raynaldus, ut dedecus illud amaliatur à nomine Legatorum, vitium illud confert in corpus vivorum ecclesiasticorum. Notatur à veteri scriptore mos Romanorum ad burzarum corrosioem.

III. Refertur insignis locus Guiberti de Novigenio adversus avaritiam Romane Curia, qui illustratur ex alio loco Matthæi Parisij.

IV. Cupiditatem in Ioanne Ferentino notat idem Parisius. Refertur Odoricus Raynaldus, qui factum istius Legati excusare conatur, hanc rapinam defendere faciens ex veteri more faciendarum collectarum.

V. Gualo Legatus in Angliam missus ab Innocentio III. honesta & inhonesta omnia quæstui habebat. Itaque ob insatiabilem avaritiam accusatus apud Pontificem, ab eo multatus est pæna pecuniaria. Verùm hac narratio falsi suspitione laborat.

VI. Impudens Egidij Legati mendacium: qui post corrasam multam auri vim, sivriffe se à latronibus spoliatus fuisse, cum eam pecuniam in summa ambitione ac luxu profudisset, & ita crumena inani Romam rediit. Frequentia Legatorum commotus Alexander Scotorum Rex, novum Legatum repudiat. Vehemens oratio Episcopi cuiusdam Scotti adversus Legatos.

VII. Otto Legatus in Angliam missus à Gregorio IX. magnificè acceptus & multis muneribus donatus. Neque fanis pepercit neque profanis. Sed prada sua spoliatus, factus est prada de pradatore.

VIII. Interdum Legati spoliabantur pecunia compitata. Talayrandus à latronibus spoliatus in Gallia.

IX. Talayrando felicior fuit in Anglia Pileus Cardinalis. Nam cum immensam auri vim collegisset variis modis, eam prius Angliæ eduxit quam ipse exiret.

I. EXTINCTO Celestino successit Innocentius istius nominis tertius. Hic anno MCCI. Legatum in Scotiam & Hyberniam misit Ioannem Presbyterum Cardina-

Baronius
1197. 43.

Hugo Falcandus
de scand. 1197. 43.

Math. Paris in
Epistol. 1.

lem Tituli sancti Stephani in Caelio monte; cuius præclaras virtutes cum celebret Rogerius Hovedenus, avaritiam tamen insectatur. Eodem anno, inquit, *Iohannes Salernitanus Tituli sancti Stephani in monte Caelio Presbyter Cardinalis, apostolica sedis Legatus in Scotia & in Hibernia & in insulis adjacentibus, venit Eboracum. Et paulo post: Prædictus vero Iohannes non manducavit carnem, vinum & ciceram non bibit nec aliquid quo inebriari potuit, sed aurum & argentum sivit. Meminit istius legationis Radulfus de Diceto in imaginibus historiarum, his verbis: Iohannes Salernitanus Presbyter & Cardinalis à Summo Pontifice transmissus tam Hyberniæ quam Scotiæ Legatus, transiit per Angliam, sollempni processione receptus est in Ecclesia doctoris gentium Pauli prid. Kal. Septembris.*

II. Odoricus Raynaldus referens hunc locum ex annalibus Hovedeni, ut dedecus illud amoliatum à nomine Legatorum, vitium illud confert in corpus virorum ecclesiasticorum. *Deploranda planè est, inquit, complurium ecclesiasticorum conditio, qui reliquis superatis vitiis, avaritiæ sordibus perliti, insana pecuniæ cupiditati, summo aliorum scandalo, suæque animæ detrimento, turpissimè succumbunt.* Sed ab ista generali reprehensione abstinuit haud dubiè Raynaldus, si voluisset intelligere ista referri non posse ad omnes Clericos, sed ad mores Legatorum Ecclesiæ Romanæ, quorum avaritia fato quodam semper & ubique notata est; adeo ut cum Simon de Bria Cardinalis, natione Gallus, apostolicæ legationis auctoritate per Gallias instructus, augendis fortunis suis studeret, passus sit severam animadversionem à quodam scriptore illorum temporum, qui adnotat illum, quamvis esset natione Gallus, bene didicisse morem Romanorum ad burfarum corrosionem. Hæc sunt ejus verba, relata à viro clarissimo Francisco Duchesnio in probationibus historiæ Cardinalium Gallorum pag. 590. *Et licet iste Cardinalis esset natione Gallicus, & fuisset Cancellarius Regis Franciæ & Thesaurarius Turonensis, bene didicerat morem Romanum ad burfarum corrosionem.*

III. Nolo heic recensere cuncta quæ antiquitus dicta sunt adversus cupiditatem & avaritiam Romanorum. Sufficit in præsentiarum, ad retundendum hunc Odorici Raynaldi conatum, testimonium Guiberti de Novigento, qui lib. I I I. de vita sua cap. IV. loquens de Galdrico electo Episcopo Laudunensi ad Paschalem II. proficiscente ut electionem suam ab eo confirmari procuraret, ait: *At Palatini, Papæ videlicet necessarii, comperta hominis opulentia, aggratulari, virum ferre laudibus. Moris enim est ut auditio auri nomine*

mansuefiant. Sic Matthæus Parisius ad annum M C I I I. adnotat sedem apostolicam clementissimam esse, ac nulli deesse consuevisse, dummodo aliquid albi vel rubei intercedat.

IV. Anno Christi millesimo ducentesimo sexto, ut Matthæus Parisius scribit, *Iohannes Ferentinus apostolicæ sedis Legatus veniens in Angliam, eamque perlustrans, magnam pecuniæ summam congeffit, & tandem apud Radungum in crastino sancti Lucæ Evangelistæ Concilium celebravit. Quo factò, sarcinulis cum magna cautela dispositis & prudenter commendatis, festinus viator ad mare perveniens, Angliam à tergo salutavit.* Conatur ista excusare Odoricus Raynaldus, malo sanè consilio, sed eventu pejore, hanc rapinam defendere faciens ex veteri Ecclesiæ consuetudine mittendi Legatos in provincias ad faciendas collectas. Nam ea consuetudo multis antè seculis desierat, & illa Legatorum sæva ac violenta rapacitas, qui magnam illam auri argenti que vim quam exegerant in suos usus vertebant, immensum distabat à voluntaria illa contributione quam veteres Christiani pendebant in solatium fratrum pauperum. Esset hic locus ostendendi quantum inter ea discrimen esset. Sed cum id facile unusquisque apud se expendere possit, superfedeo, ut ceptum opus persequar.

V. Fuit hoc sæculo Anglia ludibrium Legatorum theatrumque ubi maximos illi questus prædæque faciebant. Eodem Innocentij tertij pontificatu, cum civile bellum esset in Anglia, Réxque Ioannes auxilium Innocentij implorasset, iste Gualonem Tituli sancti Martini in montibus Presbyterum Cardinalem Legatum in Angliam misit anno M C C X V I I. qui non prius Angliæ proceres ac Præsules, ut Hector Boëtius narrat, in gratiam recepit quam ingentem numerasset argenti summam. Nam illi moris erat honesta & inhonesta omnia quæ sui habere. Excitasse porrò Gualonem adversum se querelas Episcoporum Angliæ & Scotiæ, qui acriter apud Innocentium conquesti sunt de avaritia Gualonis, unumque ex iis Episcopis quos, quia aurum pendere recusaverant, Romam ire Legatus iusserat, aliorum ac suo nomine coram Summo Pontifice, ac Gualone ipso, quem ob eam causam commotus Pontifex Romam revocaverat, præsentè, enarrasse cuncta quæ ex quo in Angliam Legatus Gualo venerat, avarè ac sceleratè perpetrata ab eo erant, tradit idem Boëtius, qui addit Gualonem, quum se non satis purgaret, multatum esse ab Innocentio pro ejus arbitrio poena pecuniaria. Sed adversus narrationem illam Hectoris Boëtij opponi potest auctoritas Honorij I I I. qui eodem anno

Odor. Raynald. ad an. 1201. §. 35.